



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 627. Quinam ob delictum nihil capere possint ex testamento.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

feudo antiquo dicit cum Socin. Jun. *L. 2. conf. 160. num. 44.* Ruin. *L. 1. conf. 9. in fin.* uti idem quoque de feudo novo, seu acquisito per vasallum ipsūmet testantem pro se & liberis, tradunt Socin. Jun. *in cit. conf. 72. num. 35.* & aliis; contrarium sentiunt alii, quorum sententiam sibi placere ait Clar. eò quòd valde rationabile sit, ut, quòd quæsitv jure suo, etiam suo arbitrio alienare possit, & quòd, quando prælegatur feudum uni ex comprehensis in investitura, non agatur de præjudicio domini directi. De cætero tamen limitanda responsio ipsa, ut in feudo simpliciter hæreditario possit vasallus de eo disponere ad sui libitum, & relinquere, cui voluerit; cum tale feudum sit alienabile & transitorium ad quoscunque hæredes, etiam extraneos; adeoque nil vetat, quò minus per testamentum de eo disponere possit. Clar. *l. c. num. 2.* Si verò feudum est mixtum; nimirum ex pacto & providentia, & simul hæreditarium, quale est receptū pro se & filiis hæredibus, quòd filius habere nequit, nisi sit hæres, de eo testari nequiret vasallus. Clar. *l. c.* hanc statuens regulam generalem: quòd sive feudum sit simpliciter ex pacto & providentia, sive sit mixtum, vasallus de eo testari non possit in præjudicium agnatorum; si tamen filius vel agnatus adiret hæreditatem vasalli, qui de feudo testatus est, sine beneficio inventarii, non possent talem alienationem in testamento factam revocare; quia in eo casu non possent facto defuncti contravenire; & hoc non; quia alienatio hæc per additionem convalidaretur, sed quia adeundo sibi præjudicarunt. Vide Eundem Clarum de hoc pluribus.

*Quæst. 627. Quinam ob delictum nihil capere ex testamento possint.*

**R** Esp. Primò in genere: intestabiles activè sunt quoque intestabiles passivè, sive qui prohibentur testari ob crimen, nihil quoque accipere possunt ex testamento. Secus est de eo, qui prohibetur facere testamentum ob defectum, qui non cadit in crimen, v. g. quia pupillus, mutus, &c. Clar. *§. testamentum q. 34. num. 2.* de Lugo. *de f. & f. Tom. 2. d. 24. n. 73.* cum gl. in *L. scilicet. §. 1. ff. de testam. & communi. hinc*

2. Resp. Secundò in specie: qui ob crimen nihil accipere possunt ex testamento, sunt ferè sequentes. Primò hæretici & apostatæ. juxta *L. fin. c. de hæretic. L. qui sanctam, c. de Apostat.* eorumque credentes, receptatores, defensores, fautores, si intra annum non penituerint & satisfecerint. *c. excommunicamus de hæret.* quæ tamen jura non videntur in usu in Germania & locis, ubi hæretici tollerantur. Secundò, qui Cardinales persequuntur eosque percutiunt. *c. felicis. de pæn. in 6.* Tertio communitates Judæorum inter Christianos commorantium. *L. 1. c. de Judæis.* uti & Collegia illicita. Quartò occisor testatoris, qui eo ipso excluditur ab hæreditate. *L. ult. §. ult. ff. de bonis damnator. de Lugo. l. c. num. 75.* & eo ipso, quòd ei legatum, censetur revocatum. quòd tamen non transit ad fiscum; sed absque ulla sententia devolvitur ad hæredem defuncti. idemque est de fideicommissis. adeoque legatarius tenetur in conscientia illud non acceptare; sed relinquere. de Lugo. *l. c. num. 77.* cum Sanch. *L. 4. mor. c. 1. du. 38. n. 7.* Idem est, si post factum legatum legatarius notabilem injuriam inferat testatori, vel gravem inimicitiam erga illum gerat. iudem cum Molin. *d. 212. §. racia.* verò ubi tamen ingratitude evenerit post mortem testatoris, non eo ipso perditur legatū; quia testator non potuit

habere in vita contrariam voluntatem; sed illud tanquā indigno auferri potest, & applicandū fisco post sententiam. Si verò post inimicitiam testator tacitè vel expressè reconciliatus legatario, cum receperit in amicitiam, valebit legatum. illudque accipere poterit, ut Lugo *l. c.* cum Sanch. *cit. du. 38.* dum autem excluditur occisor testatoris à bonis defuncti, in quibus institutus erat hæres. *L. ult. §. ult. de bonis damnator.* dicunt plures apud Sanch. *l. c.* in dicto casu bona illa non applicari fisco, dum hæres est voluntarius, sed haberi talem pro non scripto hærede; transire verò ea ad fiscum, ubi occisor erat hæres necessarius, nec requiri ad hoc sententiam; sed esse talem ipso facto incapacem eorum, & in conscientia debere ea relinquere. Sanch. tamen *l. c.* & cum eo Molin. *d. 178.* & de Lugo *l. c.* juxta *cit. L. ult. ff. de bon. damnat.* asserunt simpliciter, ob delictum hæredis applicari ea fisco; ac proude hæredem interfectorem posse ea retinere ante sententiam; cum, quòd ob delictum auferretur hæredi, & applicatur fisco, id fiat in pœnam, quæ requirit sententiam. Porrò num idem, quòd dictum de occisore domini testatoris, dici quoque debeat de eo, qui occidit possessorem fideicommissi vel majoratus, in quo succedere deberet occisor. Vide apud de Lugo. *l. c. num. 82.* remittentem ad Sanch. *l. c. c. 4. du. 59.* Quintò servus, qui commisit adulterium cum domina, pendente deluper accusatione, institui ab ea non potest hæres. *§. est autem casus. Inst. de hæred. Inst. Lugo. l. c. num. 74.* unde etiam videtur nihil capere posse ex illius testamento. Sextò excluditur ab accipiendo legato, qui testatori prohibuit testari aut revocare testamentum; applicaturque illud fisco. Molin. *cit. d. 212.* qui etiam *d. 178. §. quartus est.* idem dicit de instituto hærede. de Lugo. *num. 78.* qui etiam notat, legatarium in hoc casu etiam ante latam sententiam teneri restituere illis, quorum intererat fieri aut revocari testamentum. Septimò hærede testamentum, in quo institutus, accusante & prosequente usque ad ultimam sententiam prolatam contra ejus intentionem, hæreditas, eo ut indigno rejecto, cedit fisco. *L. alia causa. c. de his, qui ut indigni.* non tamen ubi hæres non nomine proprio, sed ut tutor vel curator alterius minoris, vel ut Advocator fiscalis (secus, si ut Procurator vel Advocatus alterius privati) accusavit testamentum. de Lugo. *num. 80.* Octavo juxta plures apud Molin. *cit. d. 178. §. tertius eventus.* hæres institutus, si accessit ad uxorem testatoris. quòd quidem de hærede dubium esse; de legatario tamen certum videri juxta *L. 1. §. L. si inimicitia. ff. de his qui ut indigni.* ait de Lugo. *num. 79.* cum Molin. *cit. d. 212.* Nonò hæres, qui testatoris, dum mente captus erat, curam debitam non habuit. in quo ablata ab eo hæreditas cedit fisco. idem est de eo, qui negligens fuit in testatore capto redimendo. in quo casu hæreditas applicanda ad redimendos captivos, ut ait de Lugo. *num. 81.* in his & similibus casibus remittens ad Molin. *cit. d. 178.* ubi is quoque notat, quòd in casu quo applicatur fisco, hunc teneri ad omnia debita defuncti juxta vires hæreditatis, & ad solvenda omnia legata, si supersit fisco quarta pars bonorum, aliàs ab eo ex legatis detrahi posse quartam falcidiam.

*Quæst. 628. An & quid de bonis paternis ex testamento vel ab intestato capere possint filii naturales.*

**R** Esp. Filii naturales (quales dicuntur, qui concepti vel nati ex parentibus tempore conceptionis